

Sic Episcopus, qui est canonicus, unicum tantum votum habet, ut dictum est hoc cap. XXXII, § 12, III.

Item nec primæ dignitatis aut præsidis capituli votum est decisivum, ita ut in paritate votorum illius votum non præponderet, quia dignitas seu præsentia per se non dat jus ferendi suffragium, sed sola qualitas canonici; et ita illa per se ipsam nullam involvit superioritatem, sed potius omnimodam cum aliis canonicis æqualitatem: nisi contrarium in statutis reperiatur dispositum, aut consuetudine introductum (1).

II. Duplex tamen votum habet canonicus procurator alterius canonici, ut dictum est hoc cap. XXXII, § 17, ad III.

Duplex votum habere potest dignitas ex consuetudine immemorabili (2).

Qui dignitatem et canonicatum obtinent juxta aliquos duplicem vocem in capitulo habent; ubi enim duo jura accedunt eidem personæ, ipsa censenda est jure duorum (3). Verum eo non obstante, cum dignitati non competat jus dandi suffragium in capitulo, nisi hoc in fundatione ecclesiæ fuerit constitutum aut consuetudine introductum, inde inferendum est, dignitati, quæ simul est canonicus, duo suffragia non competere, nisi jus ferendi suffragii dignitati ex fundatione vel consuetudine ita annexum sit, ut dignitati, etiamsi non sit canonicus, unum tamen votum ratione dignitatis competere: tunc enim jura dignitatis et canonicatus separatim considerantur, ac separata remanent; et eatenus ratione duplicis qualitatis duplex quoque suffragium ei competit (4).

Canonicus coadjutor dignitatis duplicem vocem habere potest, si dignitas vocem habeat, et facultas suffragium ferendi in litteris coadjutoriae explicite expressa fuerit, ut dictum est § 18 præc. ad X (5).

III. Qui duplicis vocis gaudet privilegio, binas has voces dividere nequit, sed tenetur uni adhærere easque dare pro una eademque re (6). Ratio est, quia, cum votum dare teneatur illi

(1) Louvrex dissert. XVIII, n. 50, 53 et 54.

(2) S. C. C. 14 Feb. 1761, in *Tridentina*, apud Pallottini *Canonici*, § X, n. 57, et apud Zamboni *Canonici*, § 2, n. 11; 3 Mart. 1860, *Terracinen.* apud *Analecta juris Pont.* 1861, sér. 5, fol. 485.

(3) Scarfantonus lib. IV, tit. III, n. 26 et 27; Pallottini *Canonici*, § X, n. 56; Barbosa de canonicis cap. XXXVII, n. 18.

(4) Louvrex loco cit. n. 48 et 49; Garcias de benef. p. XI, n. 211.

(5) Zamboni *Canonici*, § XII, n. 11; Barbosa de canon. cap. XXXVII, n. 26.

(6) Scarfantonus lib. IV, tit. V, n. 16.

quod in conscientia melius judicat, hoc respectu suiipsius solummodo unum et idem esse potest.

§ 20. *De capitularibus præsentibus, requisitis ad actum capitularem faciendum aut quæstionem decidendam.*

I. Inter præsentibus requisitos computandi non sunt nisi qui debent, et volunt et possunt commode interesse, sive qui vocem habent in capitulo. Unde computandi non sunt, qui incapaces sunt ad suffragium ferendum, puta ob interdictum aut excommunicationem, ob defectum ætatis seu ordinis sacri, neque qui ob nimiam distantiam vocari nequeunt. Horum omnium non est habenda ratio in computanda majori parte votorum (1).

Computandi non sunt, qui debite vocati, venire nolunt, quia pro hac vice se faciunt extraneos, censentur quasi non essent de capitulo, et tota potestas residet in aliis (2).

Nec illi qui votum dare nolunt, etiamsi in loco capitulari remaneant (3).

Nec illi qui ex capitulo exeunt, et redire nolunt, etiamsi protestentur et appellent; siquidem recedendo se faciunt alienos a capitulo et a jure ferendi suffragii (4); pro illa vice reputantur extranei, et quasi de capitulo non essent, totaque capituli potestas residet penes eos, qui remanent (5). Hoc tamen intelligendum est, dummodo major pars capitularium non fuerit egressa (6); quia si major pars discesserit, ipsi censentur velle dissolvere conventum capitularem, quibus alii numero pauciores obtemperare debent: nisi forsitan tempus urgeret, quia tunc præsens pars minor procedere posset, etiamsi remaneret unicus: neque enim is propter aliorum absentiam jus suum dimittere tenetur (7). Quod autem capitulum censeatur dissolutum, si major pars egressa fuerit, intelligendum est juxta Scarfantonum (8) de capitulo ordinario, a quo si major

(1) Reiffenstuel lib. I, tit. VI, n. 120; Scarfantonus lib. IV, tit. II, animad. 35.

(2) Lib. I, Decretal. tit. VI, c. 19, *Cum nobis*, et c. 28, *Quod sicut*; Reiffenstuel lib. I, tit. VI, n. 197 et 198; Louvrex dissert. XVIII, n. 33.

(3) Barbosa de canon. cap. XXXVIII, n. 12; Reiffenstuel loco cit. n. 201.

(4) Barbosa loco cit. et Reiffenstuel loco cit. n. 200.

(5) Louvrex loco cit. n. 33.

(6) Abbas in c. *Cum nobis* n. 10; Reiffenstuel lib. I, tit. VI, n. 202.

(7) Reiffenstuel loco cit. Louvrex ibidem, n. 34.

(8) Lib. IV, tit. II, n. 25-28.

pars discedat. cæteri proposita negotia non amplius resolvere possunt, quoniam per majoris partis recessum revocatur capitulum ordinarium, et declaratur negotium tunc non esse determinandum; non autem de capitulo extraordinario, ad quod capitulares omnes per caput capituli vel per alterum, ad quem ex statutorum dispositione attinet, convocati sunt: tunc qui de loco capitulari exeunt, habentur pro renuntiantibus juri suo, et remanentes, licet non sint in majori parte, actum explere possunt, ut infra dicitur.

Computanda non sunt vota extra capitulum data (1); et proinde vota infirmorum, qui sunt extra locum capitularem, licet in quibusdam aliis electionibus inquirenda sint (2), hic considerata non sunt, quia omnis actus capitularis, ut valeat, collegialiter fieri debet, et vota extra capitulum data, sunt vota ut singulorum, non autem ut collegii.

Si quis schedulam vacuum, seu in qua nihil annotatum habetur, in communem votorum urnam miserit, ejus nulla habenda est ratio juxta Reiffenstuel (3), quia is juri suo renunciare censetur: ita ut, si vera hæc sit opinio, et quis suffragium dare velit, non schedula vacua seu alba, sed cum inscriptione affirmativa vel negativa porrigenda sit.

II. Sicut omnes ad capitulum convocandi sunt, ut dictum est hoc capite § 9, n. IV; sic etiam omnes vocales ad votum ferendum necessario admittendi sunt. Vocales enim sese uti contemptos reputare merito possunt, non solum si vocati non fuerint, sed etiam, si vocati, a voto emittendo injuste prohibeantur: quinimo *turpius ejicitur, qui non admittitur hospes*. Et sane qui suffragium ferre fuerit inhibitus, æquiparatur ei, qui non fuit invitatus (4).

Quamvis autem aliquis a suffragio dando immerito prohibitus fuerit, idcirco tamen actus capitularis vitio nullitatis non laborat: indubitati enim juris est, cum aliquis capitularis exclusionem passus est, seu ut vulgo dicitur, contemptus fuit, actum capitularem per se non nullum, sed validum esse; illum autem qui contemptus fuit, de nullitate agere, et actus rescissionem obtinere

(1) Barbosa de canon. c. XXXVIII, n. 12.

(2) Reiffenstuel lib. 1, tit. VI, n. 191.

(3) Loco cit. n. 203.

(4) Cap. in Genesi 55 de elect. § *nec præmissi*; De Luca Disc. 27, de canon. n. 15; Lucidi de Visit. SS. Lim. vol. 2, postulatum XIV, n. 117; Acta sanctæ Sedis, vol. 1, 1865, fol. 157.

posse, nisi propter bonum pacis consentire maluerit (1). Ad instantiam illius vel illorum, qui contempti sunt, actus capitularis erit irritandus, cum, ut dicitur in c. *Bonæ memoriæ* plus in talibus consueverit contemptus unius obesse, quam multorum contradictio in præsentibus. Cum tamen actus per se irritus non sit; si ille qui contemptus est, animum suum ita declaraverit, ut ipsum explicite vel implicite actum recognovisse constet, non est amplius audiendus, si postea ejus validitatem impugnet (2).

Etiam si autem actus capitularis, uno alterove contempto, per se validus sit; contempti tamen juxta Louvrex (3) computari debent in numero eorum, qui faciunt capitulum, non tantum in actu electionis, sed in omnibus actibus collegialiter explicandis. Unde concludendum est, quod, etsi quis pluralitatem votorum habuerit respectu omnium canonicorum præsentium, si tamen pluralitatem, computatis canonicis neglectis, non habuerit, actus sit nullus: ita ut, si ex duodecim canonicis undecim congregentur neglecto duodecimo, non valeat quidquid fiet per sex, quia computato absente seu contempto, habentur duodecim, quorum sex majorem partem non constituunt. Contra autem juxta Fagnanum (4) actus capitularis ex contemptu aliquorum non modo non sunt nulli ipso jure, sed nec debent cassari, nisi ipsis prosequentibus contemptum; et (5) secundum hoc si vocales essent duodecim, et quatuor essent contempti, valeret electio facta a quinque ex octo præsentibus.

III. Ut actus universitatis valeat, requiritur juxta legem civilem (6), ut duæ tertiæ partes sint præsentibus, v. g. octo ex duodecim. Hinc nonnulli censent, duas tertias partes in capitulo generaliter præsentibus esse debere ad electionem faciendam, aliquod negotium decidendum, aliumve actum capitularem faciendum (7). Canonistæ autem communiter distinguunt: videlicet, vel adest aliquis, ad quem spectat congregatio seu convocatio: et tunc si ad

(1) Lib. 1, Decretal. tit. VI, de elect. c. XXVIII, *Quod sicut*, et c. XXXVI, *Bonæ memoriæ*; Fagnanus in 2, p. I Decretal. de elect. c. *Quia propter* n. 39; Reiffenstuel lib. 1, tit. VI, n. 115; Acta S. Sedis vol. 1, fol. 160-163.

(2) Acta S. Sedis loco cit. fol. 163, VIII; Scarfantonius lib. IV, tit. 2, animadv. 11 et 12.

(3) Dissert. VII, n. 34-43.

(4) In 2 p. V, lib. Decretal. *De nov. op. nunt. c. Cum ex injuncto*, n. 51.

(5) In 2 p. 1, Decretal. de elect. c. *Quia propter*, n. 40.

(6) *Text. in L. nulli et L. res quæ ff. quod cujusq. universit. nom.*

(7) Andreucci de tuenda pace n. 141; Engel lib. III, tit. XI, n. 3; Barbosa de canon. cap. 42, n. 18; Pirhinc lib. III, tit. XI, n. II.

illius mandatum non veniant omnes cæteroquin legitime vocati, poterunt venientes explicare actum, etiamsi non faciant duas tertias, imo etiamsi non interveniat major pars capituli; quia tunc convocatio superioris constituit cæteros non venientes in contumacia, et hæc illos privat facultate dandi votum. Vel non est aliquis, ad quem ex officio spectat convocatio, uti contingere potest absente vel nolente illo cujus est convocare, et uti, si quid extraordinarium pertractandum sit, obtinet pro capitulo ordinario, ad quod accedunt non intimati nec citati; et tunc etiam secundum canonistas duæ tertiæ partes intervenire debent (1): alias enim non esset capitulum seu universitas; sed si duæ partes sint præsentis, tunc valet, quod major pars disponit (2): monere tamen debent aliam tertiam partem; alias ipsa tertia pars posset agere de contemptu (3). Si vero duæ partes præsentis non fuerint, actus ad aliorum instantiam non tantum est irritandus, sed ipso jure invalidus (4), nisi: 1º contrarium alicujus loci consuetudine introductum sit (5): 2º nisi instet finis termini præfixi, quia tunc minor pars conveniens debet vocare alios, qui commode vocari possunt; iisque vocatis, sive venerint sive non venerint, præsentis procedere possunt ad expediendum actum; non enim universitas jure suo privari debet ob contumacem absentiam majoris partis (6): 3º nisi in ordinario capitulo tantum solita negotia, sicut fieri solet, ordinentur et pertractentur; hæc valida sunt, etiamsi duæ tertiæ partes non adfuerint; in his sibi imputare debent quicumque non venerunt.

§ 21. De numero votorum requisito ad actum capitularem.

I. Requiritur major et sanior pars votorum, prout in jure statuitur lib. 1, Decretalium tit. VI de electione, cap. 42, *Quia propter: Statuimus.... ut is collatione habita eligatur, in*

(1) Ita Reiffenstuel lib. III, tit. XI, n. 15.

(2) Ita Fagnanus in 2, p. lib. I, Decretal. de elect. c. *Quia propter*, n. 40.

(3) Fagnanus in 2 p. lib. V, Decretal. de nov. op. c. *Cum ex injunctis*, n. 49.

(4) Reiffenstuel lib. 1, Decretal. tit. VI, n. 120.

(5) Engel lib. III, tit. XI, n. 3.

(6) Fagnanus loco cit. n. 48-50; Reiffenstuel lib. III, tit. XI, n. 15 et 16; Scarfantonus lib. IV, tit. II, n. 10-19, et animad. 39 et 40; Louvrex dissert. VII, n. 37-39, et dissert. XVIII, n. 30-34.

quem omnes vel major et sanior pars capituli consentit. Et lib. III, tit. XI, de his quæ fiunt a majori parte capituli cap. I: Cum in cunctis Ecclesiis, quod pluribus et sanioribus fratribus visum fuerit, incunctanter debeat observari; grave nimis est, et reprehensione dignissimum, quod per quasdam Ecclesias pauci quandoque non tam de ratione quam de propria voluntate ad ordinationem ecclesiasticam procedere non permittunt. Quocirca præsentis decreto statuimus, ut nisi a paucioribus et inferioribus aliquid rationabiliter objectum fuerit et ostensum, appel. re. prævaleat semper, et suum consequatur effectum, quod a majori et saniori parte capituli fuerit constitutum. Nec constitutionem nostram impediatur, si forte aliquis ad conservandam Ecclesiæ suæ consuetudinem se juramento dicat adstrictum: nec enim juramenta, sed potius perjuriam sunt dicenda, quæ contra utilitatem Ecclesiæ, et sanctorum Patrum veniunt instituta. Si quis autem hujusmodi consuetudines, quæ nec ratione juvantur, nec sacris congruunt institutis, jurare præsumpserit, donec dignam egerit pœnitentiam, a perceptione sit Dominici corporis alienus. Item ibidem cap. III et IV (1).

Unde, exceptis casibus, de quibus § 22, non requiritur votorum unanimitas, quæ res est insolita: cum enim homines faciles sint ad discordiam, vix fieri potest, ut cuncti de capitulo ejusdem sint sensus. In omnibus capitulis ordinarie reperitur aliquis spiritus contradictionis, discrepans a judicio et voluntate cæterorum. Quinimo non valet statutum vel consuetudo, vi cujus nisi omnes consentiant, actus sit invalidus, quia tale quid damnosum est ecclesiæ, cum impediret facultatem statuendi quæ justa et utilia sunt, et sic multæ res infectæ remanerent (2).

Quod autem major pars capituli facit, totum capitulum facere censetur, ita ut major pars regulariter secum trahat minorem partem, etiam nolentem (3).

II. Pars major dicitur respectu numeri, et pars sanior respectu capacitatis et auctoritatis.

Pars major est, quæ obtinet plura vota ex omnibus capitularibus præsentibus, qui vocem habent.

(1) Acta S. Sedis, vol. XIV, fol. 371.

(2) Scarfantonus lib. IV, tit. V, n. 21-24; Pirhinc lib. III, tit. XI, n. V, *not. quarto*.

(3) Engel, lib. III, tit. XI, n. 8.